Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptvarii exequialis pars ...

Continens centurias II. dispositionum, quibus themata funebria sive scripturae dicta varia ...

Bidembach, Felix

Francofurti, 1625

Thema LXXVI.

urn:nbn:de:bsz:31-130978

Visual Library

11. Sicut peccant, qui ſibi talia Idola humana eligunt, in quibus confidant: ita peccant & hi, qui ſe omnibus eiuſmodi cultoribus patronos promittunt fore conſtantiſſimos: & patiuntur ſic ſe coli & venerari tanquam Diuos, ſpem facientes ampliſſimam ſuis illis clientulis. Stulti ſunt hi & impii. Non cogitant ſe mortales. Non fortunam volubilem ſciunt, quod ipſi etiam poſſint deturbari. Sic ſæpius ſeipſos & ſuas creaturas perdunt.

Exemplo eſſe poteſt ille Haman, Eſth. 3. v. 2. & 5. v. 11. & 7. v. 10. Abner multa pollicetur Dauidi, at mox interficitur, 2. Sam. 3. Sapiens & pius non audet maiora viribus, Prou. 11. v. 7. & 12. v. 5. & 25. v. 13.

FINIS.

THEMA LXXVI.

Prouerb. 11. v. 4.

Diuitiæ non proderunt in die iræ, &c.

Diſpoſitionem huius Thematis, vide ſupra in parte I. Promptuarii, Claſſe IX. Num. XVII. pag. 810.

THEMA LXXVII.

Prouerb. 14. v. 27.

Timor Domini fons vitæ, ad recedendum à laqueis mortis.

DISPOSITIO.

Si ſcirent homines, in loco quodam ab hinc remotiſſimo, ſcaturire terram fonte aliquo, ex quo bibentes vitam poſſent in multos annos producere, & vim mortis auertere, bone Deus, quantus foret ad fontem illum concurſus, diuitum & pauperum, iuniorum & ſeniorum, vtriuſque ſexus hominum. Et metus eſſet, ne pauperes à fonte illo arcerentur à magnatibus, nobilibus, diuitibus, qui excluſis cæteris aquas illas ſibi cuperent ſeruare. Atqui Salomon hoc loco monſtrat talem fontem